

Appetitus bonus est, vires integræ,
& somnus tranquillus.

Jam datur quotidie drachma una &
dimidia hujus pulveris; prorsus nil ma-
li observatur, & tumoris moles semper
minuitur.

Alvus segnis est, & ideo omni tertia
septimana exhibetur purgans ex granis
viginti salis polychrestii, & granis qua-
draginta pulveris radicis Jalapæ.

EXPERIMENTUM V.

FOemina, quadraginta aliquot anno-
rum, ob tumorem durissimum, ma-
gnitudinis ovi anserini, hærentem infra
parotidem dextram, per plures menses
utebatur cicuta; cum autem inde leva-
men non senserit, abstinuit.

Hac hyeme corripiebatur vehementissimis doloribus rheumaticis, qui adeo erant pertinaces, ut ægra nec dormire nec subinde præ dolore cibos deglutire potuerit; nec iuverunt medicamenta adhibita.

Petiit igitur denuo meum consilium.

Et exhibui statim pulverem de extracto aconiti; dosis erat granorum decem mane & totidem vesperi.

Primo die octies inde purgabatur, & dolores mox minuebantur, quarto & quinto die jam omnia membra citra dolorem potuit movere; & ægra bene se habuit.

Monui dein, vellet hunc pulverem adhuc assumere per plures septimanas, ne dolores in membris redirent.

Sequebatur consilium, & tertia septimana advertit, tumorem præter spem esse minorem, mobiliorem, molliorem.

Sumit nunc quotidie hujus pulveris grana triginta, nulla oritur manifesta evacuatio, omnes dolores absunt, corpus reficitur, sensimque minuitur tumor.

EXPERIMENTUM VI.

Idem experior in virgine, viginti aliquot annorum, quæ ob colli tumores scirrhosos per tres menses sine multo effectu assumpsit cicutam; minuuntur usu hujus pulveris tumores, fiuntque mobiles.

Nunc secundus mensis ad finem vergit, & pauca tantum reliquiæ supersunt.